

3 Set hec ommitto. Communi sensu accipio symoniacos, qui datione auri et argenti fiunt verbi gratia episcopi et, nisi id eis emeret datio auri et argenti, non fierent episcopi. Qua inquam auctoritate istis communicamus? Sancit lex divina, sanciant canones et decreta, ut cum hereticis nullam prorsus communionem habeamus. Quod approbari opus non est, quia ita esse nulli in ecclesia Dei dubium est. Dominus in evangelio nichil medium ponit: *qui non est inquit mecum, adversum me est.*¹ Si quis ergo adversariis Dei communicando dicit cum Deo se esse, circa idem duo contraria statuit esse, quod non potest esse. Inde ait et apostolus: *que participatio fidei cum infidei?*² Infideles vero dicimus et credimus esse omnes hereticos.

4 At si quis obicit infideles dici eos tantum, qui errando a veritate fidei animo pertinaci contempnunt redire ad veritatem fidei, concedimus, quia dicimus symoniacos omnino errare a veritate fidei, qui credunt id quod Dei est pecunia emi posse, cum veritas ipsa in evangelio dicat: *gratis inquit accepistis, gratis date.*³ Unde et ipsum donum Dei, quia gratis accipitur, gratis datur, gratia Dei vocatur. Neque enim dicimus eos tantum hereticos, qui errant a veritate fidei seu in discretionem trinitatis seu in unitate deitatis, set etiam omnes eos, qui animo pertinaci nolunt esse in omni ea unitate fidei, quam credit et tenet universalis ecclesia Christi.

5 Quod itaque comparatur, gratis non datur. Si gratis non datur, gratie nomen iam ibi prorsus evacuatur. Igitur gratia Dei non emitur, alioquin gratia non diceretur. Ad hec que sua sunt episcopus operatur, exteriora videlicet officiorum signa, et ea seu vendere seu gratis conferre potest si vult. Qui ergo ab episcopis ordines emunt, id emunt, quod episcopi vendere possunt, sola videlicet exteriora officiorum signa. Donum et gratiam Dei, que sua non sunt, nullo modo episcopi vendere possunt. Alioquin aut Deus omnipotens non esset, si violentia sibi ulla inferretur, aut iustus non esset, si ab eo pravitati assensio ulla preberetur. Si autem non credunt symoniaci donum Dei pecunia posse emi, emunt tamen, aut decipi Deum posse putant, qui furtiva comparatione donum eius sibi vindicant, aut iniurie tante debitum ultorem esse Deum non estimant, qui iniusta pervasione donum eius rapiunt, tenent atque usurpant. Quia vero nichil horum de Deo

¹) Matth. 12, 30.²) 2. Cor. 6, 15.³) Matth. 10, 8.